



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 Vtrum diuisio qualitatis in quatuor species sufficiens sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

Varia opiniones.

VT autem hoc explicemus, & argumenta in contrarium in sectio. 2. difficultate secunda, posita solvamus, advertendum est, duobus modis intelligi posse distinctionem harum specierum & (ut sic dicam) impermitionem harum. Primo secundum rem, id est, ut nulla, quae sub una harum specierum collocatur, possit constitui sub aliis. Secundo vel solum intelligantur species impermixtae secundum proprias rationes formales earum, non vero semper quoad res ipsas. Communis ergo interpretatio esse videtur, hanc distinctionem non debere, nec posse intelligi priori modo, sed tantum posteriori. Nam quod prior modus non possit esse univocalis videtur convincere argumenta proposita in secunda difficultate: secluso autem illo priori modo, necesse est ut posterior verus sit: quia nullus alius superest in quo possit & haec secunda conclusio vera esse, & divisio ipsa consistere. Habetque haec interpretatio magnum fundamentum in Aristotele, qui easdem res sub diversis speciebus qualitatibus ponit. Et eandem sententiam supponit D. Th. 1.2. q. 49. art. 2. ad 1. & 2. ubi ait, figuram & passibilem qualitatem, prout convenit naturae subiecti, pertinere ad primam speciem qualitatis. Haec opinio est frequens apud auctores praesertim recentiores.

Sed haec sententia, licet fortasse ad distinguendas dialecticas praedicationes vel denominationes suffragari possit, non tamen videtur apta, neque conveniens ad metaphysice distinguendas species, atque essentias harum qualitatibus: quia fieri non potest, ut una & eadem res constitatur essentialiter in diversis, & oppositis speciebus eiusdem generis. Neque satis est respondere, hoc esse verum secundum unam rationem formalem, tamen secundum diversas id non esse inconueniens: hoc (inquam) non satisfacit, quia vel illae rationes formales a parte rei sunt actu distinctae saltem ex natura rei seu modaliter, vel tantum ratione. Primum non potest dici in praesenti, tum quia non possunt in calore, v. g. distingui illa duo a parte rei, quae se habeant ut res & modus: nam idem calor secundum eandem simplicem entitatem, secundum quam est passibilis qualitas, est etiam virtus proxima ad calefaciendum, & bene vel male afficit subiectum, nec possunt haec omnes rationes ab illa qualitate separari: quapropter grauis omnino fingeretur distinctio ex natura rei illa. Tum etiam, quia posita illa distinctione non posset utraque illarum rationum esse essentialis tali entitati, sed illa tantum quae in re non distingueretur ab entitate, quia essentia formae non distinguitur ab ipsa forma: ratio autem modalis esset accidentaliter, vel ad summum per modum propriae passionis respectu talis entitatis, quamvis possit dici essentialis ipso modo, ut est quid distinctum ab entitate. Si vero dicantur illae duae rationes formales, solum per intellectum distingui, & utraque esse dicatur essentialis illi entitati, sequitur differentias oppositas & diuidentes ex aequo superius genus, essentialiter convenire ad eandem indivisibilem qualitatem constitutendam, quod erat inconueniens illarum & plane repugnans.

Propter hoc non fuerunt qui dicerent, illa quatuor membra non diuidi inter se tanquam diversas species qualitatis, sed tanquam modos accidentales seu habitudines varias qualitatum, ut ita divisio non sit generis in species, sed quasi subiecti in accidentia. Quod sentit Scotus in Praedic. de Qualitat. q. 1. & in 4. d. 6. q. 10. Estque antiquior opinio, nam eius meminit Albertus in Praedic. tract. de Qualit. c. 3. Sed haec sententia non videtur probanda. Primo, quia Aristoteles expresse vocat has species vel genera qualitatis. Nec in alio sensu recte constituisset, atque diuisisset qualitatis praedicamentum. Deinde quia alias nulla relinqueretur via ad constituendam distinctionem essen-

nomine figura significatur more mathematico, & abstracto a materia: propter quod dixit Aristoteles in 5. Metaphysic. qualitatem hoc modo reperiri in immobilibus: nomine autem formae significatur modo physico. Et mihi improbable non est formam hoc modo dicere figuram, non utique, sed ut ornatam accidentibus, praesertim coloribus, ut Boetius in Praedicamentis indicauit. Sic enim imago sensibilis ad hanc speciem pertinere videtur ratione suae formae. Verum est, huiusmodi formam non unam, sed plures videri includere qualitates: tamen sicut in aliis unitas artificialis, vel aliquid proportionis aut subordinationis sufficere censetur ad constituendam aliquo modo unam qualitatem, etiam ex multis conflatur, ut patet in sanitas, pulchritudine, & similibus, ita dici potest de eiusmodi forma. Quo modo etiam probabile est, ad hanc speciem pertinere ipsam pulchritudinem: quia haec maxime ex figura confluit.

Nec refert quod Soto in Praedicam. obicit, quod scilicet pulchritudo pertineat ad primam speciem, quia dicitur rei convenientia. Nam idem argumentum facere potuisset de multis aliis qualitatibus, quas diuersificationibus sub diuersis speciebus ipse collocat. De qua re dicemus in seq. sect.

Denique annotandum est circa hanc speciem Arist. in Metaphysica eam maxime attribuisse numeris compositis, qui sunt apud Mathematicos illi, qui conflunt ex ductu eiusdem numeri in seipsum, vel in alium, ut nouenarius ex tribus ternariis, vel senarius ex binario ternariorum: & sic de aliis. His ergo numeris attribuit Mathematici figuras, per quamdam proportionem ad figuras magnitudinum, quatenus ex ductu aequalis aut maioris vel minoris numeri conflunt. Ego vero existimo hanc totam rationem figurarum metaphoricam esse, magisque esse obiectivae in intellectu quam in re, & ideo non existimo pertinere proprie ad species qualitatis.

Questionis conclusio ac resolutio.

Phisigitur satis probata est assertio in principio sectionis posita. Satisque responsum est ad primam difficultatem sectionis praecedentis, tota enim fundatur in aequiuocatione terminorum: qua declarata, satis constat quo sensu omnia sub qualitate constituantur.

SECTIO IV.

An quatuor qualitatibus species sint inter se omnino distinctae.

Vamuis in modo distinctionis harum specierum diuersitas opinionum est, ut infra attingemus: tamen quod distinctae sint, omnes sentiunt. Et ideo breuiter dicendum est, has quatuor species qualitatis distinctas esse, & inter se impermixtas, vel secundum rem, vel saltem secundum rationem formalem. Haec conclusio in genere sumpta probatur ex generali ratione seu conditione bonae diuisionis, in qua membra esse debent opposita, & consequenter distincta: alioqui non erit diuisio, sed nugatio & repetitio inutilis. Item hoc maxime necessarium est in diuisione generis in species, nam quae specie differunt essentialiter differunt: ergo non possunt eadem secundum eandem rationem convenire. Si ergo dicta diuisio conuenienter est tradita, & est generis in species, ut supponimus, necesse est ut membra diuidentia distincta sint & impermixta. Voco autem impermixta, quia nullae in una specie constituta potest sub altera collocari: quia non potest una species collocari sub generalibus oppositis, seu ita condistrictis, ut non sint subalternam posita.

II.
Quod distinctum non modo cogitabile inter has species

Prima sententia.

III.
De prima sententia fortiter iudicandum.

IV.
Secunda, seu tertia.

Improbatur

essentiali inter aliquas qualitates : nam si omnes differentie in his speciebus numeratæ accidentales sunt, vel essentiali distinctionem non indicant, nullæ nobis differentie qualitatū notæ sunt, ex quibus essentiali distinctionem habere possumus. Et præterea redit argumentū factū, quia vel isti modi sunt distincti ex natura rei à qualitatibus suis, vel solum ratione. Primum dici non potest, quia nullum fundamentum talis distinctionis inueniri potest in huiusmodi rebus, ut declaratum est. Si vero tantum sunt ratione distincti, cur vocantur accidentales, cum etiam essentiali differentia ratione distinguatur à re? Et alioqui hi modi tam extrinseci sunt, & absoluti respectu talium qualitatū, quantum esse potest differentia essentialis, ut mox explicabimus. Denique si illo modo non est assignata differentia essentialis inter qualitates, hoc ipsum inquirimus, quā nimirum ratione diuidendum sit commune qualitatis genus in species essentialiter diuersas.

Resolutio.

V. CEnseo igitur in primis, posse genus qualitatis habere species proprias essentialiter diuersas : quod est per se notum, cum hoc sit de ratione omnis generis. Secundo existimo, assignatis propriis & adæquatis differentiis essentialibus qualitatū, constituentibus species essentialiter diuersas illas non ratione tantum, sed re distinguere qualitates quas constituunt: atque adeo vnam & eandem qualitatem non posse in re constitui pluribus differentiis, sic diuisiuis qualitatū genus. Hoc satis probant rationes factæ ut existimo. Nam vna qualitas solum potest esse vna entitas, & vnius entitatis vna est essentialis constitutio sub vno genere. Item, quia vna qualitas non est tantum modus aut accidens alterius qualitatis, re vel ratione distinctus ab alia qualitate : ergo differentie essentialiter constituentes qualitatem, distinguunt etiam realiter ipsas entitates qualitatis. Denique quāuis admitteremus, posse in vna & eadem entitate coniungi plures differentias vel modos qualitatū, aut ex natura rei, aut ratione ratiocinata distinctos, necessarium esset, ut in illa entitate aliqua esset differentia prima, & essentialis, quæ non posset esse nisi vna vltime constituens talem essentiam, quia, ut dicebā, vnius entitatis simplicis vnica tantum esse potest essentialis constitutio. Has ergo differentias essentialis nos hic inuestigamus, cum certum videatur, posse genus qualitatis in species suas per huiusmodi differentias diuidi: nam si eas habet, cur non poterit secundum eas diuidi?

VI. Tertio censo, prædictam diuisionem qualitatis posse optime in hunc modum explicari, ut eam explicuisse videntur Simplicius & Ammonius in prædicamento qualitatis. Eritque hæc assertio facilis ad persuadendum, vel ex sola argumentorum solutione, quæ in secunda difficultate sunt proposita. Nam si nulla est qualitas in aliqua harum specierum constituta, quam necesse sit constitui sub alia, nec secundum eandem, nec secundum diuersam rationem formalem, sufficiens argumentum erit, has species Metaphysice loquendo, non tantum secundum rationem, sed etiam secundum rem esse impermixtas. Cumque hoc modo realior (ut ita dicam) sit diuisio, & aptior ad qualitatū essentias explicandas, ita declaranda erit. Consequentia est manifesta, & antecedens declaratur discurrendo per singulas species, & per singulas instantias, quæ in secunda difficultate tactæ sunt.

Responsio ad priorem partem primæ difficultatis de naturali potentia.

VII. ET prima quidem difficultas pendet ex declaratione secundæ speciei, quæ est potentia, vel im-

Quæ principia agendi

da est de potentia actiua, comprehendere vero etiam potest passiuam, & ideo in vtraque explicanda erit. Pertinent ergo ad hanc speciem illæ facultates, quæ per se primo datæ sunt à natura ut sint principia proxima agendi, ita ut in hunc finem primario ordinentur, & inde habeant suam propriam rationem, & specificationem. Nam quod huiusmodi facultates datæ sint à natura agentibus creatis, satis constat experientia, & ex dictis supra disputatione 18. de principis efficiendi causarum creatarū. Quod vero illæ facultates qualitates sint, est communis consensus omnium Philosophorum, qui etiam generatim asserunt nullum esse creatum ac proximum agendi principium, quod non sit qualitas, ut eadem disputatione, & visum est, & facile etiam colligi potest ex generali ratione qualitatis, scilicet, præ declarata. Denique quod illa secunda species optime in eum modum exponatur, patet primo ex ipso nomine naturalis potentie vel impotentie. Secundo ex Aristotelis explicatione in Prædic. qualitat. ubi expresse hoc declarat de facultate à natura datæ, & excludit eā quæ vltima vel arte conquisita est. Tertio, quia formaliter loquendo, hæc sola qualitas habet per se primo rationem ac specificationem potentie.

Atque hinc fit, ut licet habitus sint etiam principia agendi, & ideo suo modo dici possunt virtutes actiue, nullo tamen modo pertineant ad secundam speciem, quia non sunt facultates datæ à natura, ut sint principia proxima operationum, sed sunt qualitates acquiritæ, & superadditæ potentie, ut eas veluti adiuent, aut faciles reddant ad suas operationes. Itaque habitus operatiui in hoc distinguuntur essentialiter à potentia, quod non est primum principium proximum & connaturale operationis, sed est quasi determinans vel efficiens ipsum principium. Atque ita excluduntur non solum habitus acquiriti, sed etiam per se infusi: nam licet hi videantur imitari potentias, quia non solum dant facilitatem in operando, sicut habitus acquiriti, sed etiam ipsum posse, tamen essentialiter supponunt potentiam quæ sit principium proximum, quam eleuant ad nouum genus operationum, ita tamen ut aliquam efficacitatem eius, vel naturalem, vel obedientialem supponant, eamque in suo ordine compleant. Rursus excluduntur species sensibiles vel intelligibiles, quia licet non solum conferant facilitatem operandi, sed etiam necessaria sint in suo ordine ad operationem, non tamen dant primam facultatem proximam operandi, sed determinant illam, & quodammodo compleant, ideoque ad primam speciem potius pertinent quam ad secundam, etiam si per se infusi sint, ut in angelis aut beatis, ut latius inferius dicturi sumus.

Præterea primæ qualitates, ut calor & frigus, etiam sunt qualitates connaturales elementis vel mixtis, & sint etiam proxima principia agendi, non tamē proprie pertinent ad speciem naturalis potentie, nec in ea sunt vnquam ab Aristot. collocatæ, quia non sunt facultates per se primo institutæ ad agendum, sed per se primo sunt quædam formæ, formaliter efficientes subiecta sua, ad quem finem primo ac per se sunt institutæ, & ut convenienti modo conferrent vnionem formæ cum materia, vel ad illā disponant. Quod vero sint principia agendi, habent quasi concomitanter ex eo, quod sunt tales formæ quæ possunt efficere sibi similes, ex quo non habent peculiarem specificationem, aut habitudinem transcendentelem ad propria effecta sua : nam, cum sint formæ eiusdem speciei, & absolute, non potest vna speciem sumere ex habitudine ad aliam. Et hac ratione distinctimus in superioribus duplicem actiuitatem, vnam per se primo convenientem alicui entitati ex primario fine eius : aliam concomitanter ex perfectione eius. Secundam ergo speciem qualitatis putamus priori genere actiuitatis constitui, qualitates vero actiuas, quæ sunt in tertia specie, solum habere actiui-

actiuitatem posteriori modo, & ideo neque in secunda specie constitui, neque sub ea ratione peculiarem specificationem in genere qualitatibus habere.

Atque idem censeo, de qualitatibus, quæ sunt propria obiecta sensuum, quatenus efficere possunt speciem in sensu: nam etiam illa actiuitas est cõcomitans non enim sunt illæ qualitates per se primo institutæ ad illam efficientiam, vt per se notum videtur, sed ad hoc, vt tali modo afficiant subiecta sua & cum tali perfectione formali, quam illa actiuitas comitatur. Et in hoc censeo magnum esse discrimen inter intellectum agentem, & quolibet obiecta productiua propriarum specierum, nam intellectus agens per se primo institutus est ad munus efficiendi species, & ideo est propriissime potentia actiua pertinet ad secundam speciem qualitatibus: obiecta vero cognoscibilia non sunt per se primo vt producant species intentionales, quia non sunt per se primo vt cognoscantur vel sentiantur, sed vt habeant, vel conferant subiectis suis suas formales perfectiones, & ita concomitantur habent, vt cognosci vel sentiri possint. Albedo ergo, & nigredo, & similes qualitates non sunt potentia actiua, eo quod species intentionales efficere possint: imo sub ea ratione nullam peculiarem specificationem habent in genere qualitatibus.

Neque refert, quod Aristoteles in prædicamentis dicit, has esse passiuas qualitates, quia natæ sunt efficere passionem in sensu: tum quia potuit per quandam effectum qualitatem describere: tum maxime, quia ibi non rei naturam & essentiam, sed nominis etymologiam, & impositionem explicare videtur. Vnde alias similes qualitates abunde dicit vocatas esse passiuas, scilicet, quia per passionem sunt factæ, cum tamen communis ratio essentialis eadem debeat esse in omnibus. Agit ergo in ea interpretatione non tam de essentiali ratione rei, quàm de nominis origine.

Maius sane dubium mihi est de grauitate & leuitate, an debeant in secunda, an potius in tertia specie numerari: nam videntur re vera esse propriissime potentia actiua, & ad hoc munus primario institutæ vt moueant ac deferant sua corpora in propria naturalia loca. Et confirmatur, nam impulsus impressus proiecto ab impellente in secunda specie collocatur, quia per se primo ad hoc solum instituitur, vt sit instrumentaria virtus actiua proicientis: cur ergo non idem dicitur maiori ratione de grauitate? Quod si quis velit hoc defendere, & d Aristot. in Metaphysica respondeat, ibi non distinxisse naturalem potentiam à ceteris speciebus, vt annotauimus, ideoq; indistincte numerasse qualitates omnes, quæ vel passionem efficiunt, vel per passionem efficiuntur. Si quis autem velit his qualitatibus non tribuere aliud genus actiuitatis, quam calori: & dicere eas esse per se primo formales dispositiones subiectorum, concomitantur habentes eam actiuitatem, non difficile id sustinebit.

Et iuxta hæc dicendum cum proportionem est de potentia passiuâ, nam in primis non est sermo de potentia substantiali per se primo ordinata ad substantialem actum: nam illa non est accedens, sed substantia. Solum ergo potest intelligi de potentia ad actum accidentalem. De qua rursus diximus in superioribus, aliquando conuenire alicui rei solum concomitantur, & non quia ad hoc munus sit per se primo ordinata vt conuenit superficiæ, verbi gratia esse susceptiuam coloris aut luminis. Et talis potentia vel capacitas non pertinet ad hanc speciem, imo nec per se spectat ad aliquod accidentis genus, nam res illa cui conuenit talis capacitas, non habet inde propriam aliquam specificationem, nec nouam realitatem, aut realem modum, sed per se esse capax talis actus vel accidentis. Vnde quoad hoc eadem est ratio passiuæ & actiuæ potentia. Si quæ ergo potentia passiuâ ad hanc speciem qualitatibus pertinet, necesse est vt sit

entitas per se primo ordinata ad aliquem accidentalem actum recipiendū: talis enim potentia accidentaliter erit, & ex habitudine ad illum actum habebit propriam significationem, quæ nec ad aliud prædicamentū neq; ad aliā speciem huius prædicamenti pertinere potest. An vero detur in rerū natura talis potentia accidentalis, quæ pure passiuâ sit, dicā diff. seq.

Hinc vero colligo, qualitates quasdam, quæ solent passiuæ appellari, eo quod actiuitatem non habeant, sed disponant subiectum ad aliquem actum recipiendū, vel ad resistendū illi: has (inquam) qualitates non pertinere ad hanc speciem, si Metaphysice & realiter essentiam eius consideremus. Quod si aliquando in hac specie recensentur, aut solum est propter vulgarem loquendi modum, aut propter aliquā Dialecticam considerationem vel denominationem. Exemplum est in duritie, & mollitudine, quas Arist. cap. de qua itate in hoc genere ponit, ad quod etiam alludit 5. Met. ca. 12. vbi inter alias acceptiones potentia numerat, *habitus quibus res omnino sunt passionis expertes*, & cæt. Ego vero existimo, quamuis nomine potentia, vel impotentia huiusmodi qualitates interdum significentur, vere tamen & secundum essentialem rationem huius speciei ad illam non pertinere, quia nec sunt potentia actiua, vt per se constat, neque passiuæ, cum ad nullum actum in se recipiendū ordinentur. Si vero disponunt subiectum ad alium actum, vel formam recipiendam, id solum præstant informando, & actuando aliquo modo potentiam, adiuncta conexione, vel proportionem naturali quam habent cum alio actu, vel interdum dicuntur disponente, solum quia non possunt resistere, vt raritas, vel mollitudo disponit ad facilem diuisionem. Sicut et è contrario, interdum disponūt ad oppositum actum, vel reddūt subiectum incapax talis actus, solum per informationem suam absque habitudine ad talem actum, sed potius per concomitantem resistentiam, quæ proinde non pertinet ad speciale genus potentia, vt infra ostendemus, & hoc modo durities ad diuisionem comparatur. Vnde Arist. 2. de Gener. cap. 2. inter alias qualitates tertia speciei duritiem & mollitudinē numerat: quamuis à passione nomen traxisse, ibidem fateatur. Itaq; cum in c. de Qualit. hoc exemplo vtitur declarando secundam speciem, non tam curauit de exacta exempli veritate, quàm similitudine & proportionem, vt modum loquendi de potentia & impotentia declararet, vt etiā notauit Fons. 5. Met. c. 14. q. 1. sect. 4.

Responsio ad alteram partem primæ difficultatis de habitu.

Superest vt alteram partem illius secundæ difficultatis expediamus, declarando essentialē rationem habitus & dispositionis: nam licet hæc in prima specie qualitatibus Aristot. numerauerit, tamen iuxta modū declarandi has species, quem prosequitur potentia est natura prior, & ideo prius etiā declaranda fuit. Nominem ergo habitus (sub quo semper dispositionē comprehendimus) significari credimus qualitates illas quæ disponūt naturales potentias, ea scq; actuant vel determinant ad suos actus, vel ad obiecta sua. Quæ interpretatio huius speciei consentanea est Simplicio & Ammonio in Prædic. Qualitat. eamque ibidem Scot. sequi videtur. Et declaratur breuiter, nam quod sint in rebus aliqua accidentia quæ hoc modo potentias afficiant, vt notum supponimus ex ipsa experientia, & infra disput. 45. latius ostendetur. Quod vero talia accidentia qualitates sint, patet tū quia sub nullo alio genere collocari possunt: tum et, quia aliis manifeste conuenit definitio qualitatibus supra declarata. Rursus quod talis qualitas habeat propriam specificam, & essentialē rationem distinctam à ratione potentia superius explicata, manifestum videtur, tum quia naturalis potentia proxime consequitur

XIV.

Aristotelis locum in c. de qualitatibus exponitur.

tur naturam, regulariter ac per se loquendo: hæc vero qualitas acquiritur vel superadditur naturæ, tamen quia hæc qualitas seu dispositio est actus ipsius potentie quam determinat, & in actum aliquo modo reducit: est ergo distincta species ab illa. Et eadem fere ratione distinguitur à qualitatibus tertiæ vel quartæ speciei, quia ad nullam earum pertinet hoc peculiare munus afficiendi aut de terminandi potentiam.

XVI. Atque hinc intelligitur, quomodo huic speciei peculiariter attribuatur bene vel male disponere subiectum, cui inest, nam quia habitus adduntur potentie, ut eas disponat ad suos actus, ideo ex natura sua habet faciliem reddere potentiam, ad operationem, & quia perfectio rei in operatione consistit, ideo dicitur habitus bene disponere rem in ordine ad suam ultimam perfectionem. Quamquam, quia operationes potentie interdum sunt oppositæ, ideo dum unus habitus dat facilitatem ad unum actum, difficilius reddit exercitium alterius, & è conuerso. Et quia inter actus oppositos unus est conueniens subiecto, alius vero disconueniens, ideo habitus dicitur bene vel male disponere subiectum, vel quia unus & idem habitus respectu diuersorum bene & male disponit, nam dum facilitatem confert ad unum actum, alium reddit difficiliorem, vel certe, quia ille habitus qui ad conuenientem actum disponit, bene afficere dicitur, ille vero male, qui ad actum minus conuenientem inclinatur.

XVII. Ex quo fit, ut hoc bene vel male disponere, intelligendum non sit de bono, vel malo morali, nam licet hoc etiam comprehendatur, & inde fortasse maxime sumpta sit denominatio: plura tamen nomen habitus complectitur, & vtrumque significauit Arist. 5. Met. cap. 14. in ultimis verbis dicens: Maxime autem bonum aut malum qualitatem in rebus animatis significant, in his potissimum, quæ electionem habent. Deinde colligitur, hoc bene vel male non esse sumendum pro quacunque conueniente vel disconueniente dispositione rei, nam hæc ratio in tota sua latitudine sumpta transcendentalis est, & quantitati, actioni ac passioni, & aliis conuenire potest, & coarctata ad genus qualitatibus potest omnibus qualitatibus attribui, ut recte in secunda difficultate obieciatur. Sumendum ergo est pro dispositione bona vel mala in ordine ad ultimam perfectionem rei, quæ est operatio; & subintelligenda est illa differentia cum quadam præcisione, ut per eam hæc species à naturali potentia distinguatur, quia mimimum habitus, vel dispositio non confert ipsum posse radicale aut proximum, sed supponit illud, & bene vel male illud afficit. Atque ita expedita manet tota illa secunda difficultas: nulla enim qualitas tertiæ vel quartæ speciei pertinet ad primam speciem hoc modo explicatam, ut per se satis constat.

Expduntur nonnullæ obiectiones.

XVIII. Veruntamen aliunde, & quasi ex alio extremo insurgunt obiectiones, nam in primis supponimus habitum esse operatiuum, quod tamen non omnes admittunt, ut constat ex Scoto in prima distinctione 16. questione 2. & aliis. Sed hoc nullum nobis facessit negotium, quia id non solum verum, sed etiam certum esse credimus, ut disputatione 45. latius ostendimus.

XIX. Secundo vero difficilius obstat, quia videmur supponere nullum esse habitum, qui non sit operatiuus, vel si latius loquamur, qui non sit affectio, vel dispositio potentie operatiue, quod tamen & Philosophis, & Theologis repugnare videtur. Primum patet, quia sanitas est habitus quidam, unde ab Arist. 7. Phyl. cap. 3 in hac prima specie collocatur, & ibidem ponit pulchritudinem in eadem specie, quam constat non esse habitum operatiuum. Item calor &

frigus ponuntur ab Aristotele in eadem specie, cum tamen non sint dispositiones aliarum potentialium. Secundum patet, nam gratia dicitur à Theologis esse habitus infusus, & tamen neque est in potentia operatiua, nec per se primo ordinatur ad operandum, sed solum ut formaliter conferat participationem diuinæ naturæ. Respondetur tamen habitum proprie sumptum, & prout distinguitur ab aliis speciebus qualitatis, esse qualitatem operatiuam, non quæ dat primam vim operandi, sed conferens potestatem (ut sic dicam) habilitatem ad operandum.

Ad instantias vero in oppositum respondeo, sanitatem iuxta veram sententiam non esse qualitatem simplicem, distinctam à temperamento humorum vel totius corporis, ut verior habet opinio, quia nulla est necessitas vel ratio fingendi talem qualitatem, neque est vllus effectus qui illam ostendat: temperamentum autem non est aliqua qualitas per se vna, sed est aggregatum vel (ut sic dicam) quasi artificiale compositum ex primis qualitatibus ad certam moderationem & proportionem redactis. Unde non magis potest sanitas esse habitus, quam ipsæmet qualitates primæ. Primæ autem qualitates ut calor & frigus, non nisi valde improprie & per communem rationem possunt habitus appellari, ut constat ex communi usu huius vocis. Vocantur autem dispositiones quatenus præparant materiam ad formam, vel quatenus afficiunt compositum conuenienter ad naturam eius. Sed hæc ratio, ut dixi, non est propria & specifica primæ speciei, & dispositionis, prout ad hanc speciem peculiariter accommodatur: sed cuiuslibet qualitati connaturali conuenit, quia secundum illam bene se habet subiectum in se ipso.

Quocirca quando Arist. explicans primam speciem qualitatis, exempla ponit in calore & frigore, in morbo, & similibus, non ideo id facit ut doceat hæc esse veras qualitates illius speciei, sed solum ut per quandam analogiam ad res sensibiles declararet, quomodo interni ac veri habitus disponant potentias animæ, & facile aut difficile dimoueantur. Ita enim exposuerunt Arist. mentem Albert. Alex. Simplicius, & alii. Et innuitur satis in verbis Arist. qui primū ait hæc esse aliquo modo dispositiones, & deinde subdit, ob diuturnitatem posse etiam habitus nuncupari, significans non esse proprie habitus, sed propter quandam imitationem, habituum appellationem participare.

Atque eodem modo philosophandum censio de pulchritudine: nam in primis non est proprie vna qualitas per se, sed ex figura & colore, vel coloribus coalescit: & ideo fortasse per se ipsam non habet propriam sedem in his speciebus, sed reuocatur ad simplices species quibus constat: vel si secundum eam unitatem quam habet, ad aliquam speciem pertinet, in quarta optime collocatur, ut superius declaratum est. Neque est aliqua vera & propria ratio realis, secundum quam in prima specie collocetur: nam illa ratio conuenientis vel disconuenientis est valde transcendens, ut sepe dixi. Quapropter sola denominatione Analoga potest pulchritudo, habitus appellari: quia ornat corpus, sicut virtus animam.

De gratia vero habituali, supponendo quod sit in essentia animæ, & quod per se primo non sit operatio (vtrumque enim incertum est) nego esse qualitatem primæ speciei, sed tertiæ (quamquam Aristoteli, & Philosophis incognitum fuerit tale qualitatis genus) quia per se primo solum ordinatur ad perficiendam & qualificandam substantiam per se esse formale: quam existimo esse propriam rationem tertiæ speciei, ut in sequ. sect. magis declarabo. Vocatur autem gratia habitus ea communi appellatione, quia omnis bona dispositio ex se permanens

corpori vel animæ addita, solet habitus eius appellari, quia per illam bene se habet res in se ipsa.

Iuxta hanc ergo interpretandi rationem magna facilitas & claritas exponitur, quomodo istæ species secundum rem ipsam distinctæ sint & impermixtæ: & ideo (Metaphysice loquendo) eam cenſeo veram esse, & apertissimam ad declarandam adæquate vnuscuiusque qualitatis essentiam, & proprium munus, ad quod à natura instituta est. Non nego tamen, quin, loquendo Dialectice, & mente præſcindendo has qualitates, & earum essentias per inadæquatos conceptus seu varios respectus, possit prior dicendi modus sustineri: qui etiam confert ad explicandas varias denominationes, quæ ab eadem numero qualitate interdum solent desumi.

SECTIO V.

Vtrum diuisio qualitatis in quatuor species sufficiens sit.

Non defunt qui hacin parte de sententia Aristot. dubitent, eo quod post illarum specierum enumerationem, hæc verba subiecit: *Atque forsitan quidem, & alius quispam qualitatis modus videbitur esse, qui tamen maxime dici solent, hi fere sunt.*

Sed nihilominus dicendum est. Nullam esse qualitatem, quæ ad dictas species non pertineat: ideoque diuisionem exactam esse. Hanc cenſeo esse mentem Philosophi, qui non addidit illa verba, quæ putauerit alias esse qualitatis species. Cur enim illas tacuisset, si eas agnouisset? Aut quomodo excusari posset, quod insufficientem partitionem fecisset? Fateatur ergo Arist. se non agnoscere alios qualitatis modos, tamen quia genus qualitatis amplissimum est, & ipse non tradiderat, nec forte inuenerat sufficientiam illius diuisionis, ideo modestæ causa addidit illa verba. Ac si diceret, se non tam positue cognoscere, aut demonstrasse non esse plures species, quam negatiue, plures scilicet non inuenisse. Quod si nos addimus, etiam post Aristotelem non esse aliam speciem qualitatis inuentam, sufficientem argumentum erit diuisionem esse sufficientem. Subsumptam vero propositionem ostendemus satis soluendo argumenta in tertia difficultate facta.

Prima sufficientia diuisionis.

Prius vero conabimur positue ostendere sufficientiam huius diuisionis. Quam primo tradidit Simplicius in Prædic. Qualit. in hunc modum. Omnis qualitas aut naturalis est, aut aduentitia: hæc posterior habitus est, aut dispositio: prior vero aut afficit secundum potentiam, & constituit secundam speciem, vel secundum actum, & hæc aut est in sola superficie: & constituit quartam speciem figuræ, vel in profundo, & hæc constituit tertiam speciem. Hanc vero sufficientem rejicit Diuus Thom. quia etiam in tertia & quarta specie sunt qualitates aduentitiæ, & in prima (inquit) sunt dispositiones naturales, vt sanitas & pulchritudo. Sed ad hanc posteriorem partem responderi posset iuxta superius dicta, sanitatem & pulchritudinem proprie & secundum rem non pertinere ad primam speciem. Vnde ad priorem etiam partem responderi posset, differentiam intentam esse, quod prima species per se & ab intrinseco habet quod sit qualitas aduentitia: quia actibus acquiritur vel ab extrinseco infunditur. Neque in hoc inueniatur exceptio in rebus inferioribus, seu sensibilibus, aut humanis. In angelis vero videntur species intelligibiles esse connaturales, cum ad primam speciem pertineant: actus etiam quo seipsum angelus intuetur, naturalis est: cum tamen etiam ad primam speciem pertineat, vt infra dicam. Nihilominus tamen Tom. II. Metaphys.

& species illæ possunt dici aduentitiæ, quia non ab intrinseca natura manant, sed à Deo infunduntur, etiam si dentur iuxta proportionem & debitum naturæ: actus etiam cognitionis per propriam efficientiam acquiritur: & ex hac parte aduentitiæ vel acquiritus appellari potest: at vero qualitates aliarum specierum ex se habent, quod possint esse connaturales, maxime si sint in propriis subiectis: quod vero in extraneis possint esse aduentitiæ accidentarium est: vnde non variat rationes earum. Atq; hoc modo est probabilis sufficientia.

Alteratio sufficientia.

Alii rationem sufficientiæ hoc modo proponunt. Nam qualitas aut est in sola superficie substantiæ, & sic constituit quartam speciem: vel est etiam interior: & hæc rursus vel sensibilis est per se tanquam proprium obiectum alicuius sensus, & hæc constituit tertiam speciem, vel est insensibilis, & hæc rursus aut est innata, & constituit secundam speciem, aut aduentitia, & constituit primam. Quæ etiam ratio est probabilis, quamquam per differentias valde extrinsecas, & accidentarias assignetur, quæ conuenire possunt non tantum illis speciebus quibus tribuuntur, sed etiam aliis. Nam esse qualitatem innatam non solum conuenit potentia, sed etiam possibili qualitati: esse etiam insensibilem per se pluribus qualitatibus conuenit. Et (quod difficilius est) non videntur esse illæ differentia adæquatæ his speciebus, nam in primis passibiles qualitates non videntur omnes per se sensibiles vt propria obiecta sensuum, nam densitas, aut raritas est qualitas tertiæ speciei, & non est sensibilis per se primo vt obiectum proprium: & idem est de asperitate & lenitate, quæ non magis sunt per se sensibiles, quam figura. Præterea verisimile est, esse in rebus naturalibus plures qualitates connaturali modo afficientes illas, quæ non sunt per se sensibiles, neq; per se primo sunt potentia ad agendum, sed solum formæ accidentales ad ornandum & perficiendum subiectum ordinatæ: quod non solum in corporibus corruptibilibus, sed multo magis in celestibus verisimile est. Item in qualitatibus spiritualibus sunt aliquæ possibiles, quæ in hoc modo afficiendi conueniant cum passibilibus qualitatibus, & ad tertiam speciem pertineant, vt de gratia supra dicebamus, & de charactere idem censent multi Theologi. Deinde, quod dicitur figura esse tantum in vltima superficie, si intelligatur, quod in ea tantum apparet ac terminatur: verum est, tamen id etiam est commune coloribus, vt constat ex Arist. lib. de sensu & sensibili: si vero sit sensus, figuram tantummodo esse in sola ac præcisa superficie, videri potest incertum, nam corpus circulare secundum se totum circulare est, Neq; Arist. alicubi dixit figuram esse in sola superficie, sed in ea terminari, ita vt absq; vilo termino non habeat certam ac determinatam rationem seu speciem figuræ, vt patet ex 3. Met. c. 5. tex. 17. quamquam ibi magis dubitando, & in vtramq; partem argumentando, quam diffiniendo procedat. Item si densitas, & raritas pertinent ad hanc speciem, illæ non sunt in sola superficie, sed sunt quidam modi intime afficientes corpus quantitatis secundum se totum. Sed nihilominus, vt dixi, hæc ratio probabilis est: quia nonnullæ ex dubitationib. contra eam facile loqui possunt, aliæ vero non ostendunt positue illas differentias assignatas, esse inadæquatas, quamquam ostendant ex vi illius sufficientiæ non probari esse adæquatas, nam quod in illa sufficientia supponitur, omnes passibiles qualitates, esse per se sensibiles, in ea non probatur, & mihi est valde incertum.

Tertia ratio sufficientia ex D. Thoma.

Aliam rationem huius sufficientiæ assert D. Tho. 1. 2. questione 49. articulo 2. Nam qualitas (inquit) est mo-

IV.

V.